

rigendum, qui infideles ad fidem conducere nitatur. At etiam in apologetica practica suas partes habet dogmatica; imo post diuturnam experientiam in Britannia Maiori concluderunt qui apud *The Catholic Evidence Guild* laborabant, efficaciorum quodammodo ad acatholicos convertendos esse claram exactamque dogmatis expositionem quam veritatis catholicae probationes atque defensiones.

Quod autem ex ipsa peracta analysi consequitur, attentius considerari oportet. Si enim theologia ex priori scripturistico et patristico ad prius systematicum procedit, attingitur sane quoddam catholicum atque universale quod per omnia saecula immutatum manere potest. At hoc systematicum, quod per tres philosophiae et quattuor theologiae annos pedetentim ipsi addiscimus, magis substantiam quam modum eorum respicit quae ad fideles instruendos et infideles convertendos praedicare debemus. Qui enim curriculo philosophico et theologico priventur, haud ad prius quoad se et notius systematicum ascendere possunt. Cum autem ipsi nos tum prius systematicum tum prius contemporaneum cognoscimus, ad nos perlinet ut ex priori systematico ita transeamus ut idem ipsum secundum prius contemporaneum clare atque exacte exponamus. Sicut enim apostolus Paulus aliter ad Iudaeos aliter ad Gentes eundem sane Deum praedicavit²⁰, ita etiam nos eandem fidem secundum prius systematicum addiscimus, ut ipsi clare atque exacte intelligamus, et eandem fidem secundum priora contemporanea exponimus, ut alios et alios secundum singulorum capacitatem clare atque exacte intelligere faciamus.

Quod si quis dixerit haec quidem intellectu esse facillima, praxi autem difficillima, hoc quidem concedi oportet (secus enim superfluerent scholae tum theologiae pastoralis tum missiologiae), illud autem distinctione indigere videtur. Quodcumque enim intellectum est, eo ipso intellectu facillimum factum est; attamen donec intelligatur, valde obscurum, imo fere impenetrabile, videri solet. Posita distinctione inter prius quoad se et systematicum et, alia ex parte, prius quoad alios et alios, sane elucet tum theologiam scholasticam non esse quoddam relativum atque ideo antiquatum, tum idem verum in scripturis, in patribus, atque in conciliis etiam recentissi-

²⁰ Act., 13, 17 ss.; 14, 15 ss.; 17, 22 ss.

omnino contrarius est; tertio, nimia complexitate iam oneratur nostrum argumentum; et, quarto, perutile iudicamus viae syntheticae naturam indolemque propriam seorsim exponere: quamvis enim theologiae non sit nisi pars quaedam, ea tamen est pars quae nostris temporibus plus iusto aestimari non soleat.

PROBLEMA.

Fundamentale problema trinitarium in eo est quod et 1) Filius est tum a se tum non a se, et 2) Spiritus sanctus est tum a se tum non a se, et 3) aliter Filius et aliter Spiritus non est a se.

Nam Deus est a se. Sed Filius est Deus. Ergo Filius est a se. Similiter, Spiritus sanctus est Deus. Ergo etiam Spiritus sanctus est a se.

Attamen, Filius non est a se. Nam est Filius, natus ex Patre, unigenitus, de substantia Patris, Deus ex Deo, lumen ex lumine, Deus verus de Deo vero (DB 54).

Similiter, Spiritus sanctus non est a se. Nam est « procedens ex Patre », (DB 86), et « ex Patre simul et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suam que esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit » (DB 691).

Denique, aliter Filius non est a se, et aliter Spiritus sanctus non est a se. Nam Filius est unigenitus (DB 54), sed Spiritus sanctus non est genitus sed procedens (DB 39). Generatione ergo Filius sed spiratione (DB 691) Spiritus oritur.

Iam vero idem secundum idem non potest simul affirmari et negari. Quare necesse est ut dicamus Filium secundum aliud esse a se et secundum aliud non esse a se. Pariter necesse est ut dicamus Spiritum sanctum secundum aliud esse a se et secundum aliud non esse a se. Denique necesse est ut aliud sit secundum quod Filius non est a se, et aliud secundum quod Spiritus non est a se.

Porro, ad solutionem huius problematis primus gressus est facillimus. Facillime enim dicitur Filius qua Deus esse a se sed qua genitus non esse a se. Facillime etiam dicitur Spiritus qua Deus esse a se sed qua spiratus non esse a se. Facillime denique aliud esse dicitur genitum esse et aliud spiratum esse.

dem aetatis. Non enim reapse agebatur de veris sed se de intelligentia, neque de intelligentia philosophica sed de theologica, cum illud perfecit saeculum XIII ut, etiam inter augustinianos, ex priori quoad fideles scripturistico et patristico, ad prius quoad se theologicum et systematicum transeat.

Quod enim factum est in concilio Nicaeno cum *homousion* sit definitum, quod factum est in concilio Chalcedonensi cum duae Christi naturae sint affirmatae, circa omnia fere vera revelata factum est per theologos mediaevales inquirentes disputantes distinguentes determinantes. Praeterea, sicut *homousion* fidem non destruit sed salvat, sicut duae Christi naturae fidem non destruunt sed statuunt, ita etiam (quamvis, uti patet, sine auctoritate conciliari) priora quoad se in medio aevo quaesita et inventa fidem ordinant protegent defendunt. Praeterea, sicut vel rationalismo vel relativismo historico indulget, qui *homousion* mere philosophicum vel dyphysismum mere hellenicum iudicat, ita proprie theologica erat problematica mediaevalis seu integer ille quaestionum solutionumque complexus, qui tantum tamque profunde in subsequentia concilia interdum influxisse perspicitur.

At aliud erat scripturistica et patristica priora et notiora ad theologicum et systematicum prius et notius reducere, aliud longe erat accurate atque exacte perspicere quemadmodum inter se habeant hoc et illa. Etsi enim omnes theologi, sive Augustinum proprius sequi dicitarent, sive Aristotele uterentur, aliquam reductionem ad priora quoad se peragerent, ipse tamen interminatus inter eos conflictus satis demonstrat, quam obscure quamque confuse intimam quaestionis rationem et veram disputationis causam perspexerint. Quam ob rem, nemo mirari potest posteriores theologos circa methodologicum problema non parum vel vacillari vel aberrare potuisse.

Quartum ergo nobis exemplum sit ipsa haec incertitudo. Quam enim arte priora quoad se et priora quoad nos inter se connectantur, satis superius diximus: quorum scilicet via analytica est inventio atque probatio, eorundem prorsus via synthetica est sapienter ordinata expositio. At si intima haec coniunctio et interdependentia vel praeterrmittantur vel minus clare perspiciuntur, sequitur tum speculationem in systemata tendere quae, quasi anima a corpore separata, fontes positivos negligant, tum ipsas inquisitiones positivas, directione atque integratione privatas, vel huc illuc vagari vel per modum ingentis cuiusdam acervi iacere inertes.

Iam vero tripliciter abitur in systematicum quin synthesis attingatur. Primo, enim, adeo dominari potest ancilla philosophica, ut theologi profixius in quaestionibus occupentur, quae ex radice philosophica dependant. Deinde, quamvis tum ad speculativa